

unica solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia, quam in aliis speciebus?

Articulus II. An possint eadem legata in iudicio, aut extra exigere per se ipsos, vel syndicum Apostolicum?

Articulus III. An fabricæ S. Petri liceat in huiusmodi legis se ingerere infra annum, ex quo dies legati cessit?

Articulus IV. Et quid elapso anno?

DISTINCTIO II.

De legatis factis fabricæ.

(104. Articulus I. An valeat legatum annui redditus factum fabricæ, sacristiæ, vel ecclesiæ fratrum Minorum, tam de Familia quam ex Reformatione?

Articulus II. An liceat fratribus huiusmodi legata in iudicio exigere per eorum procuratorem, vel syndicos Apostolicos?

Articulus III. An liceat eidem erogare prædicta legata in usus fratrum? An vero illa omnino converti debeant in usus a testatoribus præscriptos?

Articulus IV. An fabricæ S. Petri liceat infra annum se ingerere in proprietate horum legatorum pro fabrica, vel sacristia transigendo cum hæredibus, aut alias de eadem proprietate disponendo?

Articulus V. Et quid transacto anno?

Articulus VI. An liceat eidem fabricæ S. Petri, se immiscere præstationibus, seu fructibus eorumdem legatorum ab anno decursis, et non solutis?

Articulus VII. Et quid infra annum, ex quo cessit dies præstationis?

DISTINCTIO III.

De legatis annuis cum onere.

(105. Articulus I. An fratres Minores, tam de Familia, quam Reformati, sint capaces legatorum annuorum, quæ sunt adjecto onere celebrationis Missarum?

Articulus II. An iidem possint pro his legatis in iudicio experiri agendo, aut iudicis officium implorando?

Articulus III. An possint fratres illa accipere a sponte offerentibus celebrando Missas ad rationem rei acceptæ?

Articulus IV. An possint illa sponte oblata accipere per se ipsos, an vero per syndicum Apostolicum?

Articulus V. An fratres possint huiusmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, et pretium erogare in usum fabricæ, vel sacristiæ?

Articulus VI. An liceat fabricæ S. Petri proprietatem eorumdem legatorum cum onere Missarum vindicare, tam elapso anno, quam antea?

Articulus VII. An liceat fabricæ eidem sibi vindicare annuas præstationes decursas, et non solutas tam ante annum, quam post?

DISTINCTIO IV.

De legatis annuis sine onere.

(106. Articulus I. An fratres Minores tam Observantes, quam Reformati, sint capaces

legatorum annuorum sine aliquo adjecto saltem ad effectum illa extinguendi, et pretium erogandi in usus fabricæ, vel sacristiæ?

Articulus II. An ad hunc effectum possint eandem proprietatem in iudicio petere per syndicum Apostolicum?

Articulus III. An possint illam convertere in usum Fratrum?

Articulus IV. Et quid, si cœperint illorum annuas præstationes accipere?

Articulus V. An possint fratres exigere judicialiter annuas præstationes eorumdem legatorum in vim Martinianæ?

Articulus VI. Et quid post ultimum decretum sacre congr. hac de re editum?

Articulus VII. An fratres teneantur protestari, se esse incapaces eorumdem legatorum?

Articulus VIII. An possint illa a sponte dantibus accipere per se ipsos, vel per syndicos Apostolicos?

Articulus IX. An hæredes teneantur illorum præstationes fratribus solvere in foro conscientiæ?

Articulus X. An fabrica S. Petri jus habeat sibi vindicandi horum legatorum proprietatem tam elapso anno quam antea?

Articulus XI. Et quid de annuis præstationibus decursis, et non solutis?

Articulus ultim. An hæc omnia procedant etiam in legatis annuis ad modicum tempus?

Die 9 Septembris 1628, sacra congregatio negotiis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia a S. D. N. præfecta ad singulos articulos superius propositos ad hunc modum respondit, videlicet.

DISTINCTIO I.

(107. Ad articulum I. Fratres Minores tam de Familia, quam Reformatos esse capaces legatorum honorum mobilium, quæ unica solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in aliis speciebus. Dummodo tamen huiusmodi legata sint in quantitate moderata, et non in fraude paupertatis.

Ad II. Fratres quidem nec per se ipsos, nec per interpositam personam posse eadem legata in iudicio exigere, sed syndicum Sedis Apostolicæ tantum iudicis officium implorare, dummodo similiter illa in moderata sint quantitate, et sine ulla fraude paupertatis, et re ipsa erogentur in fratrum necessitates. Extra iudicium vero ita demum legata huiusmodi accipi posse a fratribus per se ipsos, si in aliis speciebus consistant, et accipiantur in ea tantum quantitate, quam vera, et imminens eorum necessitas postulet, sed superfluum, aut pecunias a syndico tantum posse accipi, dum tamen id omnes in fratrum necessitates convertatur.

Ad III. Non licere fabricæ S. Petri in huiusmodi legatis honorum mobilium se ingerere infra annum ex quo dies legati cessit.

Ad IV. Elapso anno libere ad præscriptum suarum facultatum.

DISTINCTIO II.

(108. Ad articulum I. Valere legatum annui redditus factum sacristiæ, vel fabricæ ecclesiæ, vel conventus fratrum Minorum tam de Familia, quam de Reformatione, nisi adsit excessus in quantitate.

Ad II. Nec per suos, nec per alios licere fratribus in iudicio exigere huiusmodi legata, sed syndico Apostolico duntaxat.

Ad III. Non licere eadem annui redditus legata erogare in usus fratrum, sed illa omnino converti debere in usus a testatoribus præscriptos.

Ad IV. Fabricæ S. Petri non licere infra annum se ingerere in proprietate horum legatorum, cum hæredibus transigendo, aut alias disponendo de eadem proprietate.

Ad V. Ibidem non licere.

Ad VI et VII. Posse fabricam S. Petri se immiscere in præstationibus, seu fructibus eorumdem legatorum ab anno decursis, et non solutis, non autem infra annum, ex quo dies præstationis cessit.

DISTINCTIO III.

(109. Ad articulum I. Fratres Minores, tam de Familia, quam ex Reformatione nullatenus esse capaces legatorum, quæ sunt adjuncto onere celebrationis Missarum.

Ad II. Non posse pro his legatis in iudicio experiri, aut iudicis officium implorare.

Ad III. Posse fratres illa accipere per modum eleemosynæ a sponte offerentibus celebrando Missas ad rationem rei acceptas, citra tamen ullam obligationem ad onus perpetuum, et dummodo prius protestentur, se illorum capaces non esse.

Ad IV. Syndicum Apostolicum, et pro fratrum necessitatibus, non autem fratres ipsos etiam per alios posse huiusmodi legata utcumque sponte oblata accipere, si in pecunia consistant.

Ad V. Non posse fratres huiusmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, et pretium erogare in usus fabricæ, vel Sacristiæ.

Ad VI. Licere fabricæ S. Petri ad suarum facultatum præscriptum sibi vindicare eorumdem legatorum proprietatem cum onere Missarum celebrandarum, tam elapso anno, quam antea.

DISTINCTIO IV.

(110. Ad articulum I. Fratres Minores, tam Observantes, quam Reformatos non esse capaces legatorum annuorum, quæ sunt sine aliquo onere, aut modo adjecto, nisi ad effectum illa extinguendi, seu illorum proprietatem, et pretium convertendi in usus fabricæ, vel sacristiæ.

Ad II. Non fratres ipsos sed syndicum Apostolicum tantum posse eandem proprietatem in iudicio petere.

Ad III. Posse convertere.

Ad IV. Si Fratres cœperint illorum annuas præstationes accipere, ne hinc fiat fraus paupertati, expedire, ut de cætero decernatur, eo casu non licere amplius fratribus eandem proprietatem vendere, et pretium in usum fabricæ vel sacristiæ erogare. Ideoque agendum cum S. D. N.

Ad V et VI. Fratres nullo modo posse in iudicio exigere annuas eorumdem legatorum præstationes.

Ad VII. Teneri.

Ad VIII. Posse illa per modum eleemosynæ, et a sponte dantibus accipere etiam per seipsos, si in aliis speciebus consistant, quod si in pecunia, non nisi per syndicum Apostolicum.

Ad IX. Non teneri.

Ad X. Fabricam S. Petri nullum jus habere vindicandi horum legatorum proprietatem, nisi elapso anno juxta suas facultates.

Ad XI. Similiter non habere jus vindicandi huiusmodi annuas præstationes, nisi ab anno decursas.

Ad XII. Hæc omnia locum non habere in legatis infra decennium, sed in his tantum, quæ sunt ad decem annos, et ultra.

(111. Adducitur ad rem constitutio Clementis X, confirmantis decretum sacre congreg. in causa Turritana legatorum.

« Clemens Papa X, ad futuram, etc. Nuper pro parte dilecti filii syndici Apostolici conventus S. Petri de Syrchis in Sardinia ordinis sancti Francisci de Observantia, etc., Congregationi fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, etc., Episcoporum et Regularium præpositæ exposito, quod quondam Petrus Moros de Molinos in suo ultimo testamento, quod anno 1645 condiderat, diversa annua legata pro Missis per fratres ordinis celebrandis, fecerat modo sequenti :

« Primo : « mando, quod meus hæres teneatur expendere pro confectione tumuli, « et exsequiarum quolibet anno lib. 25, pro « una Missa cantata, et aliis sexdecim Missis pro animabus meorum parentum celebrand. a fratribus Franciscanis S. Petri de « Syrchis, et pro legato volo, quod sint perpetuo obligata bona mea.

« Item volo, quod dictus meus hæres solvat ex dictis bonis meis quolibet anno « lib. 40, quæ inserviant pro oleo lampadis « meæ capellæ majoris in dicta ecclesia « Sancti Petri.

« Item relinquo in perpetuum Missas septem qualibet hebdomada pro animabus « purgatorii, etc., et eleemosyna sit septem « solidorum pro qualibet Missa, etc., et proprietas illarum est 1400 lib. quæ sit super « domo mea, in qua habito.

« Item relinquo pro eleemosyna dicto conventui S. Petri de Syrchis lib. 300, ut illæ « applicari debeant per meos curatores in « loco securo ad rationem lib. 23 annuarum, « et inserviant pro emendis lintheaminibus « pro pauperibus fratribus infirmis.

« Item quia D. mater mea reliquit, ut « dicantur duæ Missæ perpetuæ pro qualibet hebdomada a dictis fratribus, quod

« super bonis meis solvantur quolibet anno
« lib. 28.

« Item quia D. pater meus reliquit unam
« Missam perpetuam in hebdomada cele-
« brandam a dictis fratribus, et reliquit pro
« elemosyna censum lib. 150, debitum a
« Gavino Paduano, etc., quatenus perdidit
« supradictum, mando ut meus hæres sol-
« vat lib. 11 annuas, etc. Et factis aliis plu-
« ribus legatis profanis, etc., instituit sibi
« hæredem, Deum, et animam suam, man-
« dans suis exsecutoribus, ut adimpletis, et
« satisfactis legatis, instituerent unam ter-
« tiam dignitatem archidiaconalem in cathedra
« drali Turritana cum annuo reddito lib.
« 1000, et de residuo unum, vel plures ca-
« nonicatus secundum capacitatem bono-
« rum suorum, et alias, prout in dicto te-
« stamento dicitur uberius contineri. »

« Et subinde in executionem dicti testa-
« menti unus canonicatus, et unus archidia-
« conatus in ecclesia Turritana erecti fue-
« rant, dictusque archidiaconatus ex disposi-
« tione ejusdem Petri testatoris collatus fue-
« rat cuidam Didaco Moros ejus fratri Ger-
« mano exsecutori testamentario, qui bona
« fide, dum in vivis erat, eadem legata pia
« adimpleri curaverat : verum post ejus obi-
« tum, de eodem archidiaconatu provisus fue-
« rat dilectus Carolus de Capudoro, ad cujus
« favorem dilectus filius pro-vicarius genera-
« lis Turritanus, nesciebatur quo jure, decla-
« raverat fratres Minores prædictos legato-
« rum capaces tantum factorum pro oleo lam-
« padis, et linteaminiibus infirmorum, et
« incapaces pro reliquis, quæ archidiacono
« prædicto adjudicaverat, prout in ejus sen-
« tentia dicitur contineri. Unde dictus syndi-
« cus tanquam unus de populo pro suffragiis
« animarum, pro quibus instituta fuerunt
« dicta legata pia, et pro sua pietate erga
« dictos fratres de Observantia, qui in magna
« necessitate propter elemosynarum deficien-
« tiam in prædicta insula Sardinia reperie-
« bantur, prout ex attestatione juratorum, et
« officialis civitatis Turritanae constare dice-
« batur, nobis humiliter supplicaverat, ut
« omnimodum adimplementum legatorum
« prædictorum ven. fratri archiepiscopo Tur-
« ritano, non obstante prædicta pro-vicarii
« generalis sententia committere de benigni-
« tate Apostolica dignemur.

« Instantia vero hujusmodi ad prædictam
« Cardinalium Congr. a nobis remissa, et de
« mandato ipsius congreg. citato dilecto etiam
« filio Alexandro bulla supradicti Caroli de
« Capudoro archidiaconi procuratore, syndi-
« cus prædictus plurimum cupiebat declarari,
« prædictos fratres Minores de Observantia
« posse recipere præinserta annua legata Mis-
« sarum per modum puræ, et simplicis eleemo-
« synæ, juxta doctrinam S. Bonaventuræ in
« quadam constitutione fel. rec. Urbani Pa-
« pæ VIII prædecessoris nostri, cujus ini-
« tium : *Sacrosanctum Apostolatus ministe-*
« *rium*, proinde debere dictum archiepisco-
« pum Turritanum tanquam exsecutorem
« ultimarum voluntatum, et præcipue piarum,
« curare omnimodum adimplementum eorum

legatorum, et voluntatis dicti Petri testatoris
compellendo hæredes, et detentores bono-
rum ad satisfactionem, ne anima ejus de-
fraudata remaneret : emanavit ab eadem
Cardinalium congregatione decretum teno-
ris, qui sequitur.

« Sacra Congr. EE. S. R. E. Card. nego-
« tiis, et consultationibus Episcoporum, et
« Regularium præposita, procuratore archi-
« diaconi Turritani sæpius citato, referente
« eminentissimo D. cardinali Portocarrero,
« decrevit esse dandas declarationes sæpe
« alias factas : Videlicet, fratres Minores de
« Observantia non posse possidere census,
« et bona stabilia ; posse tamen recipere per
« viam elemosynæ quidquid eis traditur
« ab exsecutoribus ultimarum voluntatum
« pro celebratione Missarum, et anniversa-
« riorum, et propterea censuit commit-
« tendum, prout præsentis decreti tenore
« committit archiepiscopo Turritano, ut ad
« limites prædictæ declarationis in causa,
« de qua supra agitur, procedat, et ad illius
« observantiam quantum opus fuerit, juris
« remediis, et in subsidium etiam censuris
« ecclesiasticis compellat. » Romæ 3 Au-
« gusti 1674.

« Cum autem sicut dictus syndicus Nobis
subinde exponi fecit, ut decretum hujus-
modi firmiter subsistat, et observetur ex-
actius, Apostolicæ nostræ confirmationis pa-
trocinio communiti, summopere desideret,
Nos ipsum syndicum etc., absolventes, etc.
supplicationibus ejus inclinati, etc. Decretum
præinsertum auctoritate Apostolica tenore
præsentium approbamus, et confirmamus,
illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis
robur adjicimus, etc., sicque in præmissis
per quoscunque judices, etc., irritum, etc.,
Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die
22 Augusti 1674 Pontificatus Nostri anno
quarto. »

(112. Item affertur ad rem decretum sac-
congr. Episcop. et Regular., in Lucana 26
Martii 1677, pro Minoribus de Observantia
editum.

« Sacra Congr. EE. et Reverendiss. S. R. E.
card. negotiis et consultationibus Episc. et
Regular. præposita, sæpius declaravit, Fra-
tres Minor. de Observ. S. Francisci, quam-
vis attentata dispositione *Exivi de paradiso*,
Clemen. V, et constitut. Nicolai III : *Exiit*,
sint incapaces obtinendi census perpetuos,
et bona stabilia, posse tamen per viam puræ
et simplicis elemosynæ recipere quidquid
ab exsecutoribus ultimarum voluntatum eis
traditur pro celebratione Missarum, pro or-
namento ecclesiæ, aliisque necessariis pro-
curandis, juxta doctrinam D. Bonaventuræ
relatam in constit. san. mem. Urbani VIII
incip. : *Sacrosanctum Apostolatus ministe-*
« *rium*; atque in præfatis casibus dictos ex-
« secutores ultimarum voluntatum curare de-
« bere, ut hujusmodi piæ dispositiones adim-
« pleantur, ne testatorum animæ debitis suf-
« fragiis defraudatæ remaneant, quam quidem
« declarationem, illiusque tenorem in casu,
« de quo agitur eadem sacra congregatio ser-

vari præcipit, committendo ordinario Lu-
censi pro tempore existentem ut quatenus
alius exsecutor non existat, prænaratam pii
testatoris dispositionem executioni deman-
det, » etc.

(113. Item datur ad rem mandatum D. au-
ditoris cameræ Apostolicæ, ut sequitur.
« Potentissimo et Catholico principi D. D.
Carolo ab Austria, etc., felicis prosperitatis
augmentum, etc., ejusdem regnorum et
provinciarum, etc., officialibus, etc., ad
quos præsentis nostræ pervenerint, seu quo-
modolibet præsentabuntur : Franciscus Co-
lumna in utraque signatura SS. D. N. Papæ
referendarius, causæque, et causarum hu-
jusmodi, etc., salutem, etc. Noveritis quod
introducenda alias in partibus coram vicar. ge-
neral. Catacen. lite et causa inter syndicum
RR. PP. S. Francisci Minor. Observ. civi-
tatis Tabernarum Catacen. ex una, et
RR. DD. Theodorum, et Dominicum de Car-
cia ex adverso principales partibus ex altera
de et super solutione elemosynæ debitæ
pro Missis, pro quibus agitur, rebusque
aliis, etc. Dictus D. vicarius Catacen. in
causa hujusmodi procedendo suam protulit
sententiam, sive decretum tenoris sequen-
tis : videlicet : « Per curiam episcopalem
« Catacen. visa particula ultimi testamenti
« quondam Felicinæ Riva civitatis Taberna-
« rum conditi sub die 20 Maii 1633, etc., ac
« insuper inspecto tenore bullæ S. D. N. fe-
« lic. record. Clementis Papæ X, sub datum
« Romæ, die 31 Augusti 1675, pro confirma-
« tione decreti sacre congreg. negotiis Epi-
« scoporum et Regularium propositæ lati sub
« die 8 Augusti 1674, declaravit : Fratres
« Minores de Observantia posse recipere le-
« gata annua Missarum per modum puræ et
« simplicis elemosynæ, etiam pro execu-
« tione ultimarum voluntatum testatorum,
« visis actibus omnibus, etc., ac partibus
« pluries auditis, fuit provisum, et decretum,
« suspensionem duarum Missarum in heb-
« domada per eandem curiam latam omni-
« no tollendam esse, ac proinde PP. Mi-
« nores de Observantia conventus supra-
« dictæ civitatis Tabernarum reintegrentur
« ad legatum celebrandi easdem duas Mis-
« sas in hebdomada, et ab hodie in antea
« RR. DD. Theodoro et clericis Domi-
« nicus Carcias correspondente eisdem fra-
« tribus scutos decem singulis annis pro ce-
« lebratione prædicta, etc., et ita, etc., da-
« tum, etc., die 24 Januarii 1691. Antonius
« Pavoni vicarius generalis, » etc. A qua in-
« sertæ sententia, sive decreto, etc., appellan-
« tibus dict. DD. Theodoro, et Dominico de
« Carcia, fuit hæc causa ad curiam devoluta ;
« et coram illustrissimo et reverendissimo
« D. Thoma in utraque signatura referenda-
« rio, etc. Illustrissimi et reverendissimi
« D. A. C. Locumtenente introducta, qui ser-
« ser. procedendo, sua definitiva sententia,
« præinsertam sententiam, seu decretum D. vi-
« carii generalis Catacen. confirmavit et ap-
« probavit ; ad effectum tamen exsequendi su-
« per bonis per D. Victoriam Rivam donan-
« tem, etc. A qua sententia illustrissimi et

reverendissimi Thomati iterum appellanti-
bus DD. Theodoro et Dominico de Carcia,
fuit causa hujusmodi Nobis commissæ vigore
specialis commissionis ejusdem Sanctissimi,
de qua in dictis actis, etc. Nos in causa et in
causis prædictis rite, directe et legitime pro-
cedentes, etc. Tandem D. Hieronymo Leto ex
adverso procuratore dict. DD. Theodori,
et Dominici Carcia ex adverso principa-
lium, etc., per unum ex ejusdem sanctissimi
cursoribus more solito citato, nostram pro-
tulimus et promulgavimus definitivam sen-
tentiam præinserti decreti, seu sententiam
D. vicarii general. Catacen. et aliam illu-
striss. et reverendiss. Thomati confirmato-
riam, prout in dictis actis infrascripti archi-
vii Romanæ curiæ scriptoris. Sed quia a
tribus sententiis conformantibus non licet
amplius appellare, ideo ex parte ejusdem
sanctissimi, et ad instantiam dicti D. syn-
dici dicti venerandi conventus RR. PP.
Minorum de Observantia fuit Nobis directa
et præsentata commissio exsecutorialis tenoris
sequentis. » Sequitur tenor commis-
sionis. « Nos denique, etc., dicto Dom. Hieronymo Leto ex adverso procuratore dict.
Theodori, et Dominici Carcia ex adverso
principalium iterum ut supra citato, præin-
sertam sententiam, sive decret. vic. gene-
ralis Catacen. aliamque dicti reverendissimi
Thomati, et dictam nostram respective defi-
nitivam sententiam exsequi mandavimus,
ac in illarum executione, et re judicata
præsens mandatum exsecutivum ad favorem
dicti syndici RR. PP. S. Francisci Minor.
Observant. civit. Tabernarum diocesis Cata-
cen. contra et adversus dicta bona per
dictam Victoriam donata dictis D. D. de Car-
cia, pro ducatis viginti quinque monetæ re-
gni debitis pro supradicta elemosyna Mis-
sarum ab anno 1691, per totum mensem Ju-
nii proxime præteriti ad rationem ducato-
rum decem pro quolibet anno, sine præju-
dicio aliorum per annum decursorum de-
crevimus, et relaxavimus, exsequi volumus,
et mandavimus per præsentem. Quo circa
Vos, potentissimum regem, vestrosque re-
gios ministros studiose requirimus, et per-
benigne in Domino hortamur, attentèque
rogamus, Vobis vero, aliis omnibus, et sin-
gulis supradictis, etc., tenore præsentium
committimus, et in virtute S. Obedientia, ac
sub excommunicationis, etc., pœna, etc.,
mandamus, quatenus statim visis præsentibus,
et quoties præsentium vigore fueritis,
seu alter vestrum fuerit requisitus, etc., ex
parte nostra, seu verius Apostolica auctori-
tate cogatis, et compellatis, cogique et com-
pelli faciatis, etc., dictos Theodorum et Do-
nicum Carciam ad dandum, solvendum,
tradendum, etc., et effectualiter exbursan-
dum dicto rever. syndico dictorum PP.
Sancti Francisci Min. Observ., etc., scuta
viginti quinque monetæ regni, ut præfer-
tur, debita, una cum aliis scutis quatuor, et
Juliis septem monetæ Romanæ pro expensis
præsentis Mandati. Datum Romæ anno 1693,
indictione prima, die vero 7 mensis Augu-
sti, Pontificatus Sanctissimi D. N. Innocentii

divina Providentia Papæ XII anno ejus tertio. »

(114. Syndici Apostolici nequeunt dominium, vel usum possessionum in se recipere, ut redditus annuos fratribus tribuant. Sic expresse dicta sacra congr. allegat. supra n. 91, in fine, ibi : « Inhibemus autem, ne syndicus in sua persona hujusmodi annuos redditus recipiat distribuendos ipsis fratribus. » Et sac. congr. R. Fabricæ in *Æsina Legali* 29 Novemb. 1692, quæ, teste eminentissimo card. Petra, tom. II *Commentar. ad Constit. 5 Honorii III*, num. 29, censuit « Franciscanos Observantes, qui prætendebant retinere stabilia nomine syndici, esse incapaces ad ita retinendum. »

(115. Neque dicti syndici Apostolici possunt sine beneplacito Apostolico alienare mobilia pretiosa ecclesiæ incorporata, ut sunt lampades, candelabra, paramenta, picturæ, et hujusmodi, prout expresse de mandato Urbani VIII, 1 Septembris 1624, decrevit S. C. C. prohibens alienationes dictorum fieri sine expressa sacra congr. licentia, adjectis pœnis ipso facto incurrendis a contrafacientibus, nullisque alienationibus declaratis, et novissime eodem Sac. Congr. in *Papiensi*, die 18 Martii 1719, quæ respondit : « Quo ad mobilia pretiosa ecclesiæ incorporata esse necessarium beneplacitum Apostolicum; quo vero ad omnes alias res in futurum non posse syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia affixione edictorum, et venditio fiat majori oblato. » Vide verb. *Syndicus*, n. 19.

(116. Fratres Minores habent solum simplicem usum facti absque ullo dominio, et usu juris circa res illas, quibus uti possunt; *Communis*. Usus juris est ipsum jus, sive legitima facultas utendi aliqua re; adeoque usum juris habere dicitur omnis, qui et utitur, et potest ad libitum licite uti aliqua re. Usus autem simplex facti est ipse actualis usus rei factus cum omnimoda dependentia a libera voluntate domini proprietarii; sicque usum simplicem facti habere dicitur ille, cui conceditur facultas utendi re etiam usu consumptibili, sed omnino dependenter a libera concedentis voluntate, ita ut pro ejus libito revocari possit.

(117. Et hic usus simplex facti, et omnino dependens a libera voluntate domini proprietarii concedentis potest separari, et de facto separatur a dominio rei etiam unico usu consumptibilis. Vide verb. *Dominium*, art. 1, n. 18 ad 20.

(118. Domus professorum Societatis Jesu, licet sint vere Mendicantes, sunt tamen capaces legatorum etiam bonorum stabilium, ita tamen ut, si talia bona non sint necessaria, nec opportuna usui domorum professorum, ea vendi debeant, et ex eorum pretio propriis necessitatibus provideri. Vide verb. *LEGATUM*, n. 122.

(119. Scholastici et coadjutores temporales, qui in dicta præclarissima Societate Jesu post biennium probationis simplicia vota ediderunt, possunt, non obstante voto paupertatis, retinere et acquirere dominium

radicale bonorum temporalium, tam mobilium quam immobilium antea habitorum, vel postea per hæreditatem, donationem, vel alio modo obtentorum, quamvis per dictum simplex votum paupertatis privati sint actuali Jure de iis disponendi arbitrio suo sine superioris licentia; Sanchez, lib. VII *Moral.*, cap. 18, n. 23 et 28; Layman, l. IV, tract. 5, cap. 7, num. 3; Busemb., lib. IV, cap. 1, *De statu religioso*, dub. 4; La Croix, *ibid.*, num. 96; Sporer, tom. II, tract. 6, can. 1, num. 68, et alii. Et ratio est, quia illud votum simplex non privat, sed stat cum dominio radicali, et in actu primo bonorum antea habitorum, et postea acquiritorum, seu acquirendorum, et solum privat dominium, ac jure actuali utendi vel disponendi de iis arbitrio suo sine licentia superiorum juxta constitutionem Gregorii XIII, incip. *Ascendente Domino*. Talis enim religiosa paupertas non consistit in eo, quod reddat religiosum incapacem domini radicalis, et velut in actu primo, qualem etiam habet infans sub tutore constitutus; sed quod privet ipsum religiosum jure retinendi bona temporalia, et de iis disponendi arbitrio suo sine facultate, de consensu superiorum saltem licite.

(120. Unde tales scholastici, et coadjutores temporales, quamvis moraliter peccarent contra paupertatis votum, si de dictis bonis antea habitis, vel postea acquisitis disponerent arbitrio suo sine consensu superiorum, tamen talis dispositio esset valida: Sanchez, *loco cit.*; Layman, *loco cit.*, Sporer, *loc. citat.*; Lugo, in *Respons. moral.*, lib. IV, dub. 6; La Croix, lib. IV, num. 103, cum Castropal. Pellizar. et aliis ibi citatis contra Molinam et Lessium. Et ratio est, quia licet peccarent mortaliter contra votum paupertatis, ex quo per tale simplex votum paupertatis sibi interdixerint jus disponendi sine facultate superiorum; tamen eorum dispositio esset valida, quia adhuc retinent dominium suorum bonorum, donec eis se abdicent per solemne paupertatis votum, cum eis non se abdicent per d. votum simplex paupertatis.

(121. Est enim magna differentia inter votum solemne paupertatis (cui, ut recte notat Layman, *loc. citat.*, n. 3, vers. *cæterum*, æquiparari in hoc docet votum paupertatis coadjutorum formatorum d. Societatis Jesu), et inter simplex paupertatis votum ab ipsis scholasticis, et coadjutoribus temporalibus emissum, quia tale simplex votum paupertatis privat religiosum solum dominium, ac jure actuali utendi, et disponendi de bonis temporalibus arbitrio suo absque facultate superiorum, et non dominio radicali, et in actu primo. Votum autem solemne paupertatis emissum in professione solemnii religionis privat sic professum, non solum dominium, ac jure actuali, sed etiam dominium radicali, et in actu primo, id est omni jure, ac facultate, tam valide, quam licite disponendi de bonis temporalibus antea habitis, ac alia postea acquirendi, et alienandi, ut clare habetur ex c. *Unic.*, De voto, in 6 et de

coadjutoribus formati in d. Societate Jesu est statutum a Gregorio XIII, in d. Cons. *Ascendente Domino*; Layman, *loc. cit.*, vers. *Cæterum*; Sporer, *loc. cit.*, n. 59 et alii.

(122. Ut regulares possint uti rebus aliquibus licite intra terminos religiosæ paupertatis, requiruntur quatuor conditiones. Prima namque est, ut utantur iis rebus tanquam non suis. Secunda, ut iis utantur cum vera, et rationabili superioris licentia. Tertia, ut iis utantur juxta modos in qualibet religione expressos. Quarta, ut iis utantur servata honestate, et modestia: Marchantius, in *Tribunali*, tom. VIII, part. II, tract. 2, tit. 1, quæst. 4; Henno, tom. II, tract. 3, disp. unic. *De statu religioso*, quæst. 9, art. 3, § 2; Sporer, tom. II, tract. 6, cap. 1, numer. 61, et alii in re communiter.

(123. Regulares igitur utriusque sexus debent uti rebus tanquam non suis, ut habetur clare *Act. IV*, 32, ibi: *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquis suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*; et concordat, cap. *Dilectissimus* 5, cap. *Scimus* 9, cap. *Non dicatis* 11, caus. 2, quæst. 1; cap. *Monachi* 2, cap. *Super quodam* 4, cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachorum, cum similibus. concil. *Trid.* sess. xxv, *De regularibus*, cap. 2, ubi expresse prohibet regulares. « quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere. » Et decr. Clem. VIII pro reform. regularium, incip. *Nullus omnino*, § 3, ubi confirmantur et innovantur decreta concilii *Trid.* de sic paupertatis voto custodiendo.

(124. Unde peccant contra paupertatem regulares utriusque sexus, qui mobilia, vel immobilia tanquam sua retinent, et administrant, iisque despotice suo arbitrio utuntur, ac de iis pro libitu disponunt. Item qui pro peculio, seu livello sibi concessio dant quantias sine superioris consensu, volunt solutionem in suis propriis, et non superioris manibus fieri, cogunt ad id debitores tanquam absoluti domini, et hujusmodi: regulares enim utriusque sexus nequeunt livella administrare a se ipsis. Vide supra, n. 63, et verb. *MONIALES*, art. 2, n. 88. Nec iis livellis uti possunt, nisi servata forma constitutionis Clementis VIII de largitione munerum. Vide supra numer. 70.

(125. Regulares utriusque sexus debent uti rebus cum vera et rationabili superioris licentia. Unde si metu, fraude, dolo, minis, vexationibus, molestiis, allegatione falsi, seu reticentia veri obtineatur, perinde est, ac si non fuisset talis licentia obtenta, quia sic, vel est violenta; vel si sit licentia, est subreptitia, vel obreptitia. Idem dicendum est, si talis licentia absque rationabili causa concedatur, quia tunc nec inferior, nec superior est tutus in conscientia, cum tales concessionibus corrumpant mores religiosorum ac nimis in dies relaxent religiones. Tum quia superiores sunt dispensatores, et non dissipatores bonorum conventuum, ac monasteriorum.

(126. Licentia non requiritur semper ex-

pressa, sed sufficit aliquando etiam tacita, rationabiliter præsumpta. Taciti enim, et expressi eadem est virtus, et idem iudicium. cap. *Ex p. 2*, De rescriptis, leg. *Cum quid* 3, ff. *De rebus creditis*; l. *Cornelius* 69, ff. *De hæred. instituend.*; l. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1, l. *Fideicommissa* 11, § *Si filio*, ff. *De legatis* 3, cum similibus.

(127. Unde in illis religionibus et morasteriis, ubi viget legitima consuetudo aliqua recipiendi, retinendi, expendendi, donandi, et hujusmodi sine expressa superioris licentia, excusantur religiosi, ac religiosæ a peccato proprietatis ratione licentiæ tacitæ, arg. c. *Cum olim* 6, cap. *Cum dilectus* 8, cap. *Cum tanto* 9, De consuetud.; Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 13, q. 1, n. 44; Pellizar., *De monialibus*, c. 4, num. 71; Felix Potest., tom. I, part. II, n. 1046, testans de communi.

(128. Licentia non est necesse, quod detur toties, quoties casus occurrerit, sed sufficit absoluta sine limitatione concessa, saltem pro tempore ejusdem superioris concedentis, nisi aliter constet de ejus voluntate. Cum enim talis licentia sit semper revocabilis, salvatur semper, quod religiosus disponat de rebus sibi concessis cum facultate et consensu superioris. Imo licentia ab uno superiore concessa durat etiam sub alio, nisi ab ipso successore expresse vel tacite fuerit revocata, quia gratia non espirat, mortuo, vel amoto ab officio concedente; cap. *Si super gratia* 9, De officio delegat., in 6, cap. *Sicut* 36, De præbend., in 6; Donatus, *Præter regul.*, tom. III, tract. 15, qu. 18; Lézana ab ipso ibi citatus, Felix Potest., *loco cit.*, n. 1038, et alii. Vide notata supra ad n. 55.

(129. Regulares utriusque sexus tenentur uti rebus sibi concessis juxta modos in sua regula et suis constitutionibus expressos. Quilibet enim tenetur servare paupertatem eo modo, quo illam Deo promisit; sicque cum religiosi voveant ordinarie illam servare juxta modos in sua regula expressos, et in sua religione licite servari solitos, tenentur uti rebus sibi concessis juxta dictos modos.

(130. Hinc fratres Minores de corpore Observantiæ, et Capuccini tenentur præ cæteris regularibus ad usus arctos, et pauperes in sua regula contentos, ut declararunt, pro minoribus Nicolaus III in cap. *Exiit qui seminat* 3, De verbor. signific., et Innocentius XI, constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii*.

(131. Supradicti enim fratres Minores, quamvis circa res sibi necessarias possint habere simplicem usum facti non possunt tamen habere usum juris, et tanto minus dominium. Et circa denarios, vel pecuniam, nec dominium, nec ullum politicum usum habere possunt, ut expresse præfati Summi Pontifices, et signanter Innocentius XI, in d. constit. incip. *Sollicitudo pastoralis officii*, § 4, ibi: « Aliarum enim rerum necessariorum fratres Minores de corpore Observantiæ hujusmodi habere usum licet, non dominium; denariorum autem nec domi-